Laus Pulicis. XXX.

Solent AA: ornatiſſimi, præcipua nonnunquam artificum opera, eò vehementius à ſagaci mortalium cenſura commendari, quò ſua mole minutiora, et partibus perfectiora abſolutioraq; extant; enimverò plures ille currus, imò currulus, quem ſub muſcæ ala occultare licuerat, plures, inquam, oculos in ſe convertit, maioriſq; admirationis fuit, quam aureum et ingens Darij eſſedum. Idem in ingeniorum fœtibus accidere videmus, ad eam quippe Virgilianus culex, et Myrmicidæ formica eorum præconijs evecti ſunt gloriam, ad quam nec celebratiſſimus Alexandri Bucephalus, nec vaſtus Lyſippi leo pervenire unquam valuêre. Itaq; hodiernâ die, non culicem, ut Poëtarum Choragus, ſed pulicem orationis meæ, eloquentiæq; phaleris exornare et evehere, virtuteſq; ſingulares, quæ nec in maximo corpore reperiantur, exponere, quin et concionatorem, urinatorem, fullonem, aſtrologum, gemmarium deniq; et medicum oculis ſubijcere decrevi: aures interim date, fidē experientia extorquebit.